

# **Io. Friderici Stapferi, [...], dissertatio theologica insigne commiserationis divinae erga lapsum genus humanum continens testimonium ex Gen. III: 22**

Autor(en): **Stapfer, J. Friedric**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum**

Band (Jahr): - **(1751)**

Heft 21

PDF erstellt am: **22.07.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-394690>

## **Nutzungsbedingungen**

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

## **Haftungsausschluss**

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

---

JO. FRIDERICI STAPFERI,

*V. D. M. & Past. Diesbacens.*

Disertatio Theologica

*Insigne*

COMMISERATIONIS DIVINÆ

erga lapsum Genus humanum

continens

TESTIMONIUM

ex

Gen. III: 22.

---

§. I.

**D**Eus, Ens illud originarium, omnium quæ cogitari possunt præstantissimum ac perfectissimum, rerum cunctarum quæ sunt extra se causa, uti a se, omnisque adeo perfectionis fons ac complexus est, ita etiam ab omni æternitate sibi solus sufficiens, in se solo summe beatus, ab omni majoris felicitatis defectu ac desiderio remotissimus, satis suis bonis dives, nulliusque adeo rei extra se indigus, in summa sua solitudine plenus, omni gaudio felicitateque abundantissimus fuit, quod quivis facile concedet, qui summæ ac independentis perfectionis aliquam ideam habet.

§. II. Nulla itaque dici potest causa, cur, quæ extra Deum sunt, fecerit, quam quod summa sua munificentia perfectiones ac divitias suas, summamque adeo felicitatem ac beatitatem extra se patefacere ac communicare voluerit, idque nulla coactus necessitate, maxima cum libertate, & ex mera liberalitate fecerit; sine omni enim creato ente in perpetuum beatissimus esse potuisset.

§. III. Cumque Deo, uti ex præmissis jam facile patet, is fuerit finis, ut se ceu Ens optimum perfectissimumque extra se manifestaret communicaretque, consequitur: talia ejus debuisse esse opera, ut ejus quoddam essent speculum atque effigies, ut de æterna ejus potentia ac divinitate, de summa ejus sapientia ac bonitate testari possent, eo ceu ente optimo fruerentur, Deoque hac ratione essent digna, ac fini ultimo convenientissima.

§. IV. Ut igitur mundus hic materialis ac visibilis perfectionum divinarum Theatrum esset, etiam creaturæ rationales condi debuerunt, intellectu præditæ, quo Deum amabilissimasque ejus virtutes ex sui omniumque divinorum operum inspectione cognoscerent, eum ceu summum bonum quærerent, in eo deliciarentur, ac denique in ejus possessione beatæ fierent. Sine ejusmodi creaturis & mare, & terra, & cælum nonnisi informæ Chaos, rudis indigestaque moles esset.

§. V. Et ut finis ultimus ille obtineretur, quem Deus assequi volebat, sui scilicet summi boni cognitio, amor ac fruitio, entia illa rationalia sic debuerunt esse comparata talibusque instructa

ita facultatibus, ut Deo cognoscendo, quærendo, fruendoque apta essent. Requirebatur ad hoc, ut creaturæ istæ Dei quædam essent effigies, ut ad ejus quandam similitudinem effictæ, quo Deum ex sui etiam inspectione cognoscerent, eo-que propriæ perfectionis intuitu possessioneque ceu summo bono fruerentur.

§. VI. Ut ergo Deus a creaturis suis ex sui reliquorumque divinorum operum inspectione cognosceretur, ejusmodi donari debuerunt viribus repræsentativis, ut quid sit Deus, vel ejus attributa, vel Dei opera intelligerent.

§. VII. Cum porro creaturæ rationales eum in finem ex nihilo fuere productæ, ut in Dei cognitione ejusque fruitione felices essent, bonum adeo appeterent malumque fugerent, scientia etiam boni malique debere esse instructæ. Mala vitare, bonaque prosequi naturæ lex ipsas jubere debuit. At quid vere bonum, quid contra vere malum sit, nonnisi ideæ rerum natura insitæ, communesque adeo notiones monstrare potuerunt.

§. VIII. Et quum ipsa mentium rationalium natura in hoc imprimis ab entibus corporalibus machinisque sit distincta, ut non bruto aliquo motu, non mera necessitate agant, hujus etiam rei in mentibus creatis Dei quædam debuit esse similitudo ut libero gauderent agendi principio, quo non modo varias rerum ideas inter se comparare, sed & optionem facere, & quidquid velint vel appetere & amare, vel contra fugere aver- sarique possent.

§. IX. Ut autem nonnisi vere bonum appeteret malumque fugeret, minime sufficiebat, ut mens boni malique scientia prædita esset; Sed voluntas etiam iis instructa esse debuit viribus, ut legi isti naturali in omnibus conformiter agere eique satisfacere posset; debuit itaque esse *justa, sanctaque.*

§. X. Donis ac facultatibus istis, ipsis a Deo concreatis, si semper bene usæ essent mentes creatæ, iisque convenienter in omnibus egissent, nulla parte miseræ, nulla vacuæ, sed totæ gaudio imperturbato plenæ, maxima felicitate, animi tranquillitate, imo Deo ipso ceu summo bono fruitæ essent, finique adeo Creatoris in omnibus fecissent satis.

§. XI. Postquam autem homo propria sua culpa ac negligentia ab hoc suo scopo aberrasset seque eo ipso infelicem reddidisset, Deus tamen non desit is esse qui natura sua est; non desit se ceu ens optimum omnibusque bonis abundantissimum monstrare; sed pro summa sua munificencia in creaturis etiam lapsis indeque miseris se gloriosum summe, summe admirabilem, summeque amabilem ostendere. Huic propterea malo nuper orto mederi, infelices creaturas modo perfectionibus suis conveniente a miseria liberare, iisque auxilio suo succurrere paratissimus erat.

§. XII. Ipse ab omni imperfectione infelicitateque remotissimus etiam creaturarum suarum infelicitatem imperfectionemque non vult, neque adeo earum miseria ac interitu delectatur, sed  
summa

summa potius, si ita de Deo loqui fas sit, commiseratione tangitur; non ad creaturarum perditionem sed potius ad earum conservationem, non ad pœnam sed ad gratiam, non ad severitatem sed ad misericordiam inclinatus est.

§. XIII. Insigne hujus veritatis in ipsis mundi miseriarque humanæ incunabulis vestigium ac monumentum reperimus. Cum enim propria culpa homo in miseriar barathrum se præcipitasset, non modo Deus pro summa liberalitate sua ei liberationis medium patefecit, eique adeo auxilio suo adfuit, sed cum de eo ageretur ut hominem peccatorem, (aliter enim salva divina sapientia fieri non potuit,) prærogativis quibusdam externis, quibus ante lapsum gaudebat, privaret, eum ex Paradiso expelleret, fruitioneque bonorum cum statu innocentiar connexorum eum intercluderet, intimam suam erga miserum hominem commiserationem hisce testabatur verbis:

*Ecce! homo fuit sicut unus ex nobis, sciens boni malique. Nunc vero eo res rediit ut arcendus sit, ne extendat manum suam & decerpatur etiam ex arbore vitæ, & comedat, & vivat in sempiternum.*

§. XIV. Eum in horum verborum explicatione tenebimus modum ac ordinem, ut

1.) Eas de effati hujus divini sensus refellamus sententias, quibus calculum nostrum non addimus, &

2.) Eam, quæ nobis placet explicationem exponamus adstruamusque.

§. XV. Triplici nimirum sensu verba hæc ab interpretibus sumuntur.

1.) *Ironice*, quasi Deus hominem rideret, quod infrunita spe sua jam misere frustratus fuisset.

2.) Altera sententia hæc est, quod Deus *de hominis ad imaginem divinam* per fœdus gratiæ fide receptum *renovatione* loquatur.

3.) Tertia denique effatum hoc ita interpretatur, ut *Deus commiserationem suam erga hominis præsentem statum testetur; statum ejus præcedentem ac originarium cum eo in quem per peccatum redactus est comparando.*

Uti duas priores sententias removebimus, sic *tertiam* pro viribus stabilire fert animus.

§. XV. Primæ explicationi favent Viri maximi nominis, de Ecclesia meritissimi, encomio nostro superiores facti, ex quorum numero quosdam citabimus. Venerabilis JABLONSKIUS potentiss. Boruss. Regi, dum viveret, a sacris aul. Decade 2. Concionum sacr. pag. 52. seqq. sententiam suam hisce exponit verbis: *Es ist, leider! allzuklar, daß diese Worte nicht im eigentlichen Verstande geredet sind. So ist denn nach durchgehender Erklerung der rechtgläubigen Christen-Lehrer hier Ironia, eine Red-Art, dadurch Gott das Widerspiel dessen meynet, was die Worte zu lauten scheinen. Adam ist worden wie unser einer; Die Meynung ist: Ey! wie fein bist du Gott gleich worden; Siehe nun! wie wahr die Schlange geredet; Siehe! wie treulich Satan gerathen; Siehe! wie weislich du gehandelt;*  
Du

*Du bist nichts weniger denn Gott gleich; Sollte aber dergleichen ironische Hohnrede wohl Gott geziemen? Sollte sie wohl seiner Majestät anständig seyn? Warum nicht? Gott hat ja den frevelhaften Sündern gedrohet: Ich will euer lachen in euerem Unfall, und euer spotten, wenn da kommt, das ihr fürchtet; Sprüchw. 1: 26. Celeb. ac facundiss. SAURINUS in seinen Betrachtungen über die wichtigsten Begebenheiten des A. und N. T. pag. 219. suam de hujus dicti sensu opinionem ita proponit: Es schikte sich nicht, daß der in Sünden gefallene Mensch an dem Ort der Annehmlichkeit und Unschuld wohnen bleiben sollte; daher verstieß Gott denselben auch auf ewig daraus. Er that es auch mit einer Art der Verspottung: Siehe! sprach er, der Mensch ist worden wie unser einer. - - Wir werden ins künftige verschiedene Exempel zum Beweis einer jetzt angenommenen Regul anführen, wodurch man einer Verwunderung, die etwa eine solche Gott beygemessene höhnische Art zu reden verursachen mægte, zuvorkommen kan; weil es nemlich in der Schrift eingeführet ist, daß von Gott menschlicher Weise geredet wird. Eandem etiam profert sententiam POLUS in Critica S. sua, dicens: Ironia est, qua Deus hominem ad considerandum damnum commovet, q. d. aliter se res habet. Vide, quam vera promiserit Serpens, quam factus sis par Deo. Nuperrimus etiam Criticorum ac Commentatorum Anglicorum Synopsos Auctor in Libro, quem Gallico idiomate & sub hoc titulo edit: *La Sainte Bible avec un Commentaire litteral, composé de remarques tirées des meilleurs Auteurs Anglois*, non-*

nullorum explicationem sequenti modo exponit  
 Pour ce qui regarde, après cela, les paroles mêmes  
 que Moïse met dans la bouche de Dieu, elles sont  
 visiblement ironiques, & destinées à faire sentir  
 aux coupables l'excès de leur imprudence, & jusqu'à  
 quel point ils s'étoient abusés. La seconde partie du  
 vers doit être prise dans le même sens. Nôtre ver-  
 sion porte, mais maintenant il faut prendre garde,  
 qu'il n'avance sa main &c. Il y a dans l'hebreu: à  
 présent qu'il n'avance pas sa main, qu'il ne prenne  
 pas de l'arbre de vie, qu'il n'en mange pas, & qu'il  
 ne vive pas à toujours. Ce discours est, comme on  
 voit, suspendu. Dieu y parle comme s'il étoit à  
 craindre que malgré lui l'homme ne prolongeât ses  
 jours, en mangeant du fruit de l'arbre de vie; il  
 faut donc suppléer: Empêchons, prenons garde, chas-  
 sons-le de ces lieux, ou quelque chose de semblable.  
 PATRICK & STACKHOUSE. Hanc explicatio-  
 nem etiam COCCEJUS reliquis longe præferebat,  
 sententiam suam his exponens verbis: *Primum co-  
 lon a diversis diversimode explicatur. Noster mos  
 non est omnes omnium sententias coacervare. Ne-  
 que id apud auditorium utile est. Inprimis si sen-  
 tentiæ periculosa coram rudibus commemoranda sint;  
 Quæ possunt ita animum auditoris occupare, ut non  
 attendat ad refutationem falsa & asertionem vera  
 sententiæ. Potior ratio tractandi Scripturas est,  
 verissimam eamque uberrimam ac plenissimam &  
 ponderosissimam intelligentiam proponere & confir-  
 mare, tum obiter, si necesse sit, expositiones peri-  
 culosas abjicere, additis etiam efficacibus argumen-  
 tis. Nobis ad interpretationem certam dux est Mo-  
 ses,*

ses, sive ipse sermo Dei. Duo copulat per particulam Etiam, quæ non possunt esse nisi ejusdem generis. Quale igitur est extendere manum suam ad arborem vitæ & vivere in perpetuum; tale est Etiam, quod de Adamo dicitur, factus est unus ex nobis, &c. Quemadmodum illud nihil aliud significare potest, quam Ecce Adam periclitatus est comedendo de arbore cognitionis boni & mali, annon per eam fieri posset similis nobis. Sic causa patet. Ne peccatum peccato cumulet. Ne postquam obedientiam violavit præcepti, sibi arroget symbolum promissionis, & speret se esu symboli mortem evadere posse. Ironia igitur est. Ironiam vide & Marc. VII: 9. 13. Es. XLI: 23.

§. XVII. Non obstante tantorum virorum multorumque aliorum Interpretum auctoritate argumentorumque eorum pondere, nunquam eo adduci potui ut eorum explicatio mihi vel vera vel maxime probabilis videretur. Disuadebant hoc Dei perfectiones, ejus erga lapsum hominem animus, jam facta Adami cum Judice ac Creatore suo reconciliatio, aliusque planus ac facilis verborum sensus. Ubi enim sensus Scripturæ dubius est, ibi is semper præferendus mihi videtur, qui divinis virtutibus maxime conveniens, fini divino maxime congruus, cum operibus divinis consentiens, & si nexum consideres maxime appositus est.

§. XVIII. Si itaque hic 1.) summa Dei Attributa, si ejus Sapientiam, si summam ejus Majestatem ac Dignitatem, si denique ejus erga miserum hominem Misericordiam spectemus sceptica ac ironica loquendi ratio ipsi minime convenire videtur. Ii quos Deus hic alloquitur sunt SS.

Trinitatis Personæ. At quis sibi persuadere poterit, istum apud tres has divinas Personas obtinere morem, ut ludibundo ac ridiculo hoc loquendi modo utantur, sensaque sua in re maximi momenti ratione minus seria sed jocosa exprimant. Quis nescit etiam graves virtutisque studiosos Viros vanum hunc & a veritatis norma declinantem loquendi morem abhorrere & nonnisi seriis locutionibus uti? Et quis cum summa Dei Majestate & supra omnes creaturas eminentia conciliare poterit, Deum in re maxime seria, quæ miseram creaturam spectat nonnisi jocabunde loqui?

§. XIX. 2.) Quod summa Dei dignitas ac eminentia secum fert, idem etiam ejus erga lapsum hominem animus postulat. Commiserabatur Deus tristem hominis statum eique auxilio suo adesse non denegabat. Manifestum ac infallibile hujus rei testimonium hoc est, quod Deus postquam judicis officio functus esset, misero homini statim etiam modum revelabat, quo a peccato tristibusque ejus sequelis liberari & in Dei communionem redire posset, seque per fidem in liberationis medium cum eo reconciliabat, hancque reconciliationem suam aliqua testabatur actione qua tunicas Adamo ejusque uxori fecit pelliceas, quibus eos induit, manifesto indicio Deum hominem non rejecisse sed adhuc aliquam ejus curam gerere. Miserabatur itaque Deus hominis; qui vero tristem alterius statum miseratur is ironico loquendi genere minime utitur, scopticus enim dicendi modus semper delectationem aliquam ex eventu de quo res est indicat, qualis iis tribui minime potest qui commiseratione status aliorum tangun-

tanguntur; unde ista effati hujus divini explicandi ratio cum Misericordia divina conciliari ne utriusquam potest.

§. XX. 3.) Si itaque etiam nexum dicti hujus cum antecedentibus consideremus, sensus ironicus ei minime quadrat. Judicem nimirum se Deus in præcedentibus exhibuerat, sed talem judicem, qui miseram creaturam perdere volebat, neque ejus delectabatur interitu, qui ab una parte in legis suæ transgressores sententiam ferebat, ab altera vero parte ipsis modum indicabat quo maximam pœnæ intentatæ partem effugere, & si non a pœna temporali, quæ ipsorum correctioni inservire debebat, tamen ab æterna liberari possent. Quomodo autem conveniret, ut Deus immediate ad hæc hominem ludibrio haberet & de tristi ejus statu modo loqueretur ironico. Uti ergo Judex in immediate antecedentibus Misericordiam suam testabatur, sic etiam in immediate sequentibus non sine commiseratione loqui potest, omnis ideo sceptica loquendi ratio procul abesse debet.

§. XXI. 4.) Quæcunque hætenus diximus clarissime indicant, Dei finem non hominis perditionem sed conservationem, non ejus interitum sed felicitatem fuisse; unde ejus sapientia requirebat, ut in omnibus fini suo convenienter & agat & loquatur. At cui bono, si Deus hominem ludibrio habuisset? Si quis sapiens nihil frustra facit, nihil quod fini suo non inservit, id minus adhuc de Ente sapientissimo cogitandum est. His  
argu-

argumentis illud adhuc addendum, quod infra §. XXVII. occurrit.

§. XXII. Gravissimas tamen, explicationis hujus, quam hîc oppugnamus, fautores, oportet habuerint rationes cur eam reliquis prætulerint, unde & altera pars audienda, quid nimirum habeat, quod ad sententiæ suæ defensionem proferat. Provocant doctissimi illi interpretes ad alia exempla ubi Deus ironico utitur loquendi genere; provocant ad alteram effati hujus divini, de quo agitur, partem, cum priore arte connexam, cui nonnisi significatio verborum ironica tribui possit. Qualis itaque posterioris dicti hujus partis sensus, talis etiam prioris partis esse debet.

§. XXIII. Citant 1.) ad tuendam rem suam dictum summæ Sapientiæ Prov. I: 24. 25. 26. *Quandoquidem clamantem me respuitis, nec quisquam me manum intendente, attentus est, & omne meum consilium rescinditis, castigationemque repudiatis, ego vicissim in vestro exitio ridebo, illudens, quum venerit pavor vester.* Sic Cap. III: 34. Psalm. II: 4. XXXVII: 13. LIX: 9.

§. XXIV. At plane alia horum dictorum est ratio ac ejus cujus explicationem hîc suscepimus: plane alius est loquendi modus: plane aliæ circumstantiæ: plane aliud est objectum cui illusio intentatur. Si 1.) loquendi modum consideremus, is qui in dictis citatis obtinet nihil simile cum eo habet, qui in effato isto divino de Adamo occurrit. In hoc enim Deus, si ironicam dictionem ejus asseras, sensa sua verbis plane oppositum

tum vel contrarium significantibus exprimit, ut Riformes faciunt si satyrico loquendi genere summo gradu uti volunt; in dictis vero modo citatis Deus hac loquendi ratione nequaquam utitur, sed verbis ne umbram quidem ironiæ habentibus, sed sensum planissimum simplicissimumque admittentibus protestatur: tantum abesse quin eorum peccatorum commiseraturus iisque auxilio suo adfuturus sit, cum eos angustia ac exitium invaserit, apud quos omnia ejus consilia ac castigationes frustraneæ ac nonnisi ludibrio fuerunt habitæ, ut potius complacentiam sive oblectationem quandam testaturus sit, quando vastitas ac perditio eorum advenerit.

§. XXV. Ad circumstantias porro si adtendamus, in quibus Deus & hæc & illa locutus est, & hæc nobis suadent, verba illa de Adami statu prolata ironico sensu accipi minime posse, licet vel locutiones illæ in dictis posterioribus adhibitæ scopicum admitterent sensum. In Paradiso nimirum Deus rem cum eo habebat cum quo eo ipso momento, quo hæc effatus erat, se reconciliaverat eumque in gratiam receperat; Unde a veritate plane alienum est, quod Deus immediate post solennem illum actum hominem sibi reconciliatum ludibrio habuerit, scommatibusque eum exceperit. In dictis vero ad tuendam sententiam istam, quam refutamus, allatis, Deus nihil aliud facit, quam quod fortissimis utitur motivis ad præmonendos refractarios peccatores, ne omnibus divinis castigationibus ac consiliis petulanter rejectis in proprium ruant exitium. At quodnam majus moti-  
vum ad evitandum pericu-  
lum

lum esse potest, quam si Deus, qui solus juvare potest, modo quam maxime solenni protestetur: Immorigeros refractariosque Peccatores qui divinam gratiam ipsis toties oblatam proterve respuerint, omniaque finale exitium evitandi media contemserint, tempore necessitatis ac calamitatis non habituros cur divinum expectent auxilium, sed eo destitutos, Deumque ipsum inimicum habentes, certissime perituros. Uti hæc Deum decentissima sunt, ita priora, quæ Adamum spectant, si ironico ea intelligamus sensu benignissimo Salvatore, qualem se ibi exhibet, neutiquam erunt digna.

§. XXVI. 3.) Si denique objectorum, de quibus agitur, differentiam spectes, in Paradiso Deus loquitur de homine, qui non malitia sed negligentia potius divinam legem transgressus erat: de peccatore jam humiliato ac converso: de tali qui divina Consilia ac castigationem minime respuerat, qui liberationis medium fide jam erat amplexus, qui ad divinum auxilium jam confugerat, & cui Deus luculentissima reconciliationis testimonia dederat. In dictis vero allatis Deus sermonem suum ad eos dirigit peccatores, qui ex malitia ac petulantia peccant, qui in peccatis suis obstinaciter perseverant, qui divina mandata ludibrio habent, omnesque Dei admonitiones ac castigationes propriis consiliis postponunt, Deumque adeo ipsum verbis factisque suis ludificant. Quantum hi merentur ut Deus, ad eos eo efficacius præmonendos, oblectationem quandam eorum exitio testetur, tantum contra abest, ut Deus miseria hominis jam contriti, conversi,

ac

ac secum reconciliati, qualis Adamus fuit, delictari possit.

§. XXVII. Si quisquam regerat: primi hominis crimen non modo maximum sed simul infrunitum ac ridiculum plane fuisse, quod ironiam optime meruerit; siquidem Protoplasti id affectaverint quod divinæ Majestati ac illimitatis ejus perfectionibus maxime adversum, ac cæteroquin omnium impossibilium maxime impossibile fuerit, quod scilicet Deo similes fieri studuerit. Respondemus: Probabile non esse, quod primi nostri parentes tam stupidi fuerint, ut sibi persuaserint, se unquam infinitum illum perfectionum divinorum gradum assequi posse; sed procul omni dubio per Dei similitudinem nihil aliud quam majorem imaginis divinæ gradum intelligebant. Majorem vero si perfectionem ac felicitatem quærebant, adeoque majorem etiam cum Deo similitudinem, nihil aliud studebant quam id, ad quod obligati erant. Nullam enim aliam ob rationem Deus homini majoris perfectionis ac felicitatis desiderium concreavit, quam ut iis eo majori studio operam daret. Primi itaque parentes non in majoris perfectionis studio peccarunt, sed potius in modo quo eam consequi volebant. Seductor nimirum, in Angelum lucis se transformans, Dei nomine agere videri volebat, Deumque ipsum hujus rei juramento aliquo, *Deus novit*, testem veritatis provocat, ac si Evæ nil nisi ipsam Dei mentem aperiret circa medium facillimum ad maximum hominis bonum comparatum. Protoplastis persuadere volens: præceptum positivum illud natura sua mutabile a Deo, elapso nunc explora-

plorationis tempore, revocatum ipsos non amplius obligare, omneque ideo mortis periculum ejus abrogatione abiisse, comedendi libertatem restitutam esse, ut hoc medio majorem intellectus illuminationem adipiscerentur, Deoque eo magis similes felicioresque fierent. Non itaque in hoc Adami crimen quærendum, quod majorem cum Deo similitudinem, majorem perfectionis felicitatisque gradum quærebat; unde etiam supponendum non est, Deum hoc ipsi exprobrare voluisse; sed potius in hoc primorum hominum peccatum consistebat, quod prohibitum perfectioni suæ promovendæ adhibuerunt medium, sive quod legem Dei exploratoriam nondum abrogatam transgressi, ut hac ratione eo perfectiores felicioresque evaderent, facientes mala ut inde evenirent bona. Uti ergo in majoris perfectionis appetitione nullum fuit crimen, ita nec concipi potest, quod Deus propterea hominem ludibrio habere & scommatibus excipere voluerit; Ei potius illegitimum medium quo usus erat, exprobrasset. Deus eandem ob causam eo in loco, ubi de causæ cognitione agebatur nonnisi hanc faciebat quæstionem: *Numnam de Arbore, de qua tibi præceperam, ne comederes, comedisti?* Gen. III: 11. Nec interrogat, num Deo similis fieri voluisti? unde Judex justissimus etiam nonnisi hanc sententiæ a se latæ causam affert.

§. XXVIII. COCCEIUS sensisse videtur dicta, ad quæ modo respondimus, ad tuendam suam explicationem nihil facere; ea propterea omittit, aliusque generis duo affert, quorum alterum Jes. XLI: 23. occurrit & ita sonat: *Aut ventura eloqui-*

*eloquimini nobis, significate futura posthac, & intelligemus Deos esse vos: saltem prodeste aut officite, ut id simul ac viderimus, prædicemus.* At etiam hujus dicti longe alia ratio est ac ejus cujus sensum in hac Dissertatione disquirimus. 1.) Non de miseris hîc agitur, qui pœnam subituri sunt, sed de falsis Diis, sive potius de iis, qui eos colebant. Vel, ut clarius me enuntiem: Sermonem aliquem ad certa objecta dirigere decet, quem eundem ad alia dirigere maxime dedecet. Si vel arrogantes, qui hucusque aliis insultarunt, superveniente calamitate deridere liceret, propterea miseros, afflictos humilesque ludibrio habere eosque maximam subeuntes calamitatem sannis excipere indecorum maxime foret. Ita Deus idolorum cultores, ut ipsos idololatriæ suæ convinceret, modo aliquo plane emphatico, licet id per ironiam factum esset, alloqui potuit, qua ratione ut miserum aliquem peccatorem, corde contritum ac cum Deo reconciliatum, alloqueretur minime conveniret.

§. XXIX. 2.) Deus dicto hoc Esajano nihil aliud facit quam Creaturas omnes, vel quidquid Numinis loco falso habetur, provocat, ut divinitatis suæ characteres indicent, ejusque vel futura prædicendo vel opera quædam divina efficiendo, specimina edant. At quantum hoc a miserorum derisione, scommaticoque ad afflictos loquendi genere differt? Eadem etiam phraseos a Christo Marci VII: 9. adhibitæ exprobrationisque ejus ratio est, quæ tam quoad circumstantias, quam quoad objectum, sive personas quas alloquebatur, & quoad ipsum loquendi modum mul-

tum ab eo Summi Numinis effato differt cujus sensum hîc exponimus.

§. XXX. Maximam vero argumenti vim ad tuendum sensum ironicum in vocula conjunctiva *etiam* COCCEIUS deprehendisse sibi videtur: Duo, inquit, Moses copulat per particulam *etiam*, quæ non possunt esse nisi ejusdem generis. Quale igitur sit: extendere manum suam ad arborem vitæ & vivere in perpetuum; tale est ETIAM, quod de Adamo dicitur, *factus est ut unus ex nobis*.

§. XXXI. Uti autem beato huic viro facile assercionem istam suam concedimus, ita plane negamus, quæ deinde addit, posteriorem dicti hujus partem ironiam esse. Hæc si probasset, de interpretationis ejus veritate nullum remaneret dubium, & conclusio facilis esset, etiam verba priora esse ironica. Contrarium autem cum ex iis patet, quæ jam probavimus, tum ex iis etiam, quæ infra in sententiæ nostræ uberiore expositione porro dicemus.

§. XXXII. Ad alteram nunc progredimur sententiam, quæ est, quod in verbis: *Adamus factus est ut unus ex nobis*, de ejus ad imaginem Servatoris per fœdus gratiæ renovationem sermo sit. Cui favere videtur Synopsæ Bibliothecæ exegeticæ in Genesin auctor, qui ita habet: *Gott hatte zuvor den Adam in seinen Bund aufgenommen, ihm einen Erlöser versprochen, und ihm einen Rok von den Feilen der Opfer-Thiere gemacht, um ihm vorzustellen die Kleider der Gerechtigkeit; Darauf spricht er die Worte: Siehe! Adam ist worden als unser einer. Hiermit*

mit bezeuget er sein inniges Vergnügen yber den Adam, da er in den Stand der Gnaden aufgenommen, und ist der Verstand dieser: Seht! Adam ist nun worden wie unser einer, er ist so gerecht und unschuldig als mein eigener Sohn, anstatt *justitiæ Originalis*, der anerschaffenen Gerechtigkeit, hat er bekommen *justitiam imputatam*, die zugerechnete Gerechtigkeit. Citatur in ulteriore sententiæ hujus explicatione Celeb. RAMBAGHIUS ex MSS. in H. E.

§. XXXIII. At 1.) dici minime potest Adamum eo ipso momento, quo Deus sententiam in eum tulerat eique liberationis medium revelaverat, jam denuo ad Dei imaginem fuisse renovatum. Renovatio enim ista fit per sanctificationem, quæ non unico actu, sed per longum ac successivum pietatis studium efficitur. Dices: Renovationis hujus initium ac fontem esse veram in Christum fidem, per quam homo omnium eorum, quæ Salvatoris sunt particeps fiat, ut Christi Justitia & Sanctitas, Credentis in eum Justitia & Sanctitas sit. At nullibi tamen in S. Litteris sola fides in primis suis initiis ceu imaginis divinæ in homine restitutio consideratur, sed potius ipsi etiam Credentes passim monentur, ut veterem hominem exuant, novumque ad imaginem Dei reformatum, induant. Quam cito autem totum Gratia negotium respectu Adami peractum ac ad finem perductum fuisset, si statim post legis transgressionem & sententiam propterea in eum latam etiam hoc a Judice suo testimonium accepisset: *Ecce! homo factus est ut unus ex nobis*, sive, quod idem est, ad imaginem nostram reformatus pristinam iterum perfectionem suam obtinet.

§. XXXIV. 2.) Sed & hæc verborum istorum interpretatio ad verba immediate sequentia minime quadrat. Qua enim ratione hæc congruere possint non video: Adamus ad imaginem nostram reformatus nobis denuo similis factus; At nunc e Paradiso ejiciendus ut criminis commissi, vi sententiæ in ipsum latae, pœnam luat, neque amplius prærogativis illis fruatur, quæ cum imagine nostra fuere connexa.

§. XXXV. Duo tamen sunt, quæ ad tuendam istam sententiam afferuntur; *Primum* hoc est, quod verbis immediate præcedentibus Adamus ut in fœdus Dei receptus, cum eo reconciliatus & justitiæ Christi particeps factus describatur. At 1.) sensus iste non cohæret cum sequentibus licet conveniret cum immediate antecedentibus; si itaque alium & quidem talem admittunt sensum verba hæc, qui tam cum præcedentibus quam cum immediate sequentibus congruit, hanc ipsam ob rationem isti præferendus erit. 2.) Quædam hic admodum incerta supponuntur; scilicet tunicas illas pelliceas, quibus primi homines induti fuere ipsos certiores fecisse, se Justitiæ Christi imputativæ participes factos & ad imaginem ejus renovatos esse, ut adeo tunicæ illæ hujus rei signum ac sigillum fuerint. Uti hæc nullo nituntur fundamento licet actio hæc Dei erga hominem favoris indicium erat, ita etiam explicatio hypothesi huic superstructa certo fundamento careat oportet. 3.) Prima gratiæ divinæ initia, primumque adeo conversionis momentum ita comparatum non est ut tam insigne mereatur testimonium: Hominem  
Deo

Deo similem factum & jam ad ejus imaginem reformatum esse.

§. XXXVI. *Alterum* quo explicatio ista defenditur argumentum hoc est, quod hac ratione præcedens evitetur interpretatio qua Deo sarcasmus plane indecens tribuatur. At argumentum hoc falso supponit nullum alium dictum hoc explicandi remanere modum.

§. XXXVII. *Ad tertiæ nunc Sententiæ nos accingimus* explicationem ac defensionem, quæ hæc est: quod istud Dei de hominis lapsi tam præterito quam præsentem statu effatum hanc admittat significationem, ut verti debeat: *Ecce! homo factus fuit ut unus de nobis, sciens boni malique; Nunc vero eo res rediit, ut ex Paradiso ejiciendus sit, ne extendat manum suam & decerpatur etiam de arbore vitæ, & comedat, & vivat in sempiternum.* Illi favent nonnulli interpretes Angli; Unde Editor Commentarii Biblici supra jam laudatus ita habet: *Quoique les exemples de l'ironie, mise dans la bouche de Dieu, ne soient pas rares, il y a pourtant des interpretes qui ne goutent pas ce qu'on vient de lire. Ils ne peuvent se résoudre à croire que dans le tems que le Dieu de toutes compassions donnoit à Adam & à Eve des marques signalées de sa misericorde, il ait insulté à leur misere par de piquantes railleries. Voici donc comme ils traduisent ce vers: L'homme étoit ci devant semblable à l'un de nous pour connoître le bien & le mal; mais puisqu'il a lui même méprisé un état si heureux, empêchons pour toujours, en le chassant du Paradis, qu'il n'avance sa main &c.*

§. XXXVIII. Ut rem distinctius explicemus hunc observabimus ordinem ut 1.) consideremus verborum cum antecedentibus nexum: 2.) Litteralem eorum sensum: 3.) Breviter denique ac summatim proponamus ac repetamus argumenta, quibus interpretationis hujus veritas nititur.

§. XXXIX. *Primo* Verborum istorum cum antecedentibus & sequentibus *nexum* quod spectat: Adami tum *crimen* cum ejus circumstantiis, tum *Causse cognitio*, *sententiaque a judice lata*, non omni solatio vacua, *pœna* Protoplastis annuntiata cum ejus *executione* tertio hoc Geneseos capite describitur.

§. XL. *Crimen*, uti jam monuimus, non in hoc consistebat, quod Protoplasti majorem perfectionis, felicitatis ac similitudinis cum Deo gradum quæsierint; ad hoc enim ut niterentur desideria ipsis a benignissimo Creatore fuere indita; unde etiam Sapientiae justissimi Judicis minime convenisset, ut ironice eam ob causam de iis loqueretur, quod ad majorem adspiraverint perfectionem, hacque ratione felicitatem suam promoveri studuerint. Hinc Judex sanctissimus & in *causse cognitione* nullam aliam quæstionem facit præter hanc: Numnam de arbore, de qua tibi præceperam, ne comederes, comedisti? versu 11. & in *pœnæ intentione* ac ejus *annuntiatione* nullius alius criminis mentionem fecit quam esus de arbore qua Deus interdixerat. In eo itaque peccarunt quod divinam legem de fructu non comedendo transgressi, suam a Voluntate Creatoris dependentiam hoc ipso negantes, ad majorem perfe-

perfectionem ac felicitatem consequendam illicito  
 usi erant medio.

§. XLI. Cognito confessoque crimine Judex  
 in transgressores sententiam ferebat iisque pœnam  
 dictabat, ita comparatam, ut non omni careret  
 solatio. Non modo enim optimus Judex præci-  
 puam pœnæ partem, mortem scilicet tam tem-  
 poralem quam æternam differebat, ut miseris ho-  
 minibus pœnitentiæ tempus largiretur, sed mo-  
 dum ipsis etiam ostendit, quo a summa liberari  
 pœna ac cum Creatore & Domino suo in gratiam  
 redire possent. Licet vero pœnæ æternæ veniam  
 a Deo impetrare possent, pœna tamen tempora-  
 lis aliqua ipsos manebat, respectu nimirum Ada-  
 mi, ut terra maledicta sit propter eum, & victum  
 ex ea laboriose quærat per omnem vitam, cum-  
 que vultus sui sudore victum toleret, ut denique  
 mortem temporalem oppetat: respectu Evæ, ut  
 multis doloribus ærumnisque adficiatur, cum do-  
 lore sætus excludat & a viro suo pendeat qui ipsi  
 imperaturus sit.

§. XLII. Pœnæ dictationem sequitur ejus ex-  
 ecutio, quam tamen duæ adhuc actiones in Pa-  
 radiso præcedunt: *Altera nimirum erat Adami  
 cum Eva colloquium, altera vero Dei circa hominem  
 quædam actio.*

§. XLIII. *Adami cum Eva colloquium, vel sal-  
 tem exigua aliqua, præcipua tamen ejus pars, a  
 Mose hisce nobis describitur verbis: Imposuit au-  
 tem Adamus suæ conjugi nomen Eva, quod viventium  
 omnium mater fuit.* versu 20. Crimine nimirum

commisso, animo de eo convicto, eoque Judici  
 accusanti confesso Adamus nullam Pœnæ dilatio-  
 nem sperare poterat, sed nonnisi præsentissimam  
 mortem sibi repræsentabat. Quantus itaque Pro-  
 toplastorum ante auditam Judicis sententiam fue-  
 rit pavor facile quivis concipere potest, qui ipso-  
 rum statum considerat. Magna hucusque gavis-  
 erant felicitate tam Adamus quam Eva beatæ vitæ  
 ejus consors. At lege nunc transgressa nihil ha-  
 bebant quod exspectarent, quam mortem instan-  
 tem, qui omnis felicitatis finem faceret. Sperare  
 nullo jure poterant primi parentes, fore ut con-  
 sortio conjugali ulterius fruerentur, filios filiasque  
 progenituri essent; omnis ulterioris vitæ spes cri-  
 mine in summum Legislatorem commisso concidit.  
 Quam gratum propterea ipsis fuerit oportet,  
 quando ex ipso Judicis ore audiverunt, pœnam  
 partim remissam partim mitigatam, mortemque  
 temporalem dilatum iri, ut in hoc vitæ ævo,  
 extra Paradisum licet, societate conjugali amplius  
 frui, utriusque sexus liberos progignere & ita ter-  
 ram replere possent. Audita hac sententia maxi-  
 mum Adami fuisse gaudium non est cur dubite-  
 mus. Ita vero comparatus est hominum animus,  
 ut post ingentem calamitatem vel exitii metum,  
 solatium certum nacti, maximoque inde perfusi  
 gaudio, de hac lætitia sua cum iis communicent,  
 quorum id scire maxime interest, vel qui boni  
 inexpectati ipsimet participes esse debent. Unde  
 etiam Adamus, audita divina sententia, quæ fu-  
 turam ejus Conjugisque suæ sortem definiebat,  
 statim ad vitæ suæ sociam se convertebat, ut ei  
 gaudium suum de inopinata hac rerum catastro-  
 phe testaretur, seque cum ea exhilararet, quod  
 præter

præter omnem spem ac opinionem porro mutuo conjugali consortio ac amore fruituri, Autores totius humani generis futuri essent. Idem nimirum Adamo quod omnibus hominibus eveniebat, ut maxime de vita hac temporali sollicitus esset, pellem enim pro pelle, & quidquid habet homo dat pro vita sua; unde, licet vitæ hujus miseria ipsi subeunda esset, hanc tamen inprimis ob causam maximo afficiebatur gaudio, quod audiebat se cum conjugæ suæ non statim moriturum, sed ulterius in terra hac victurum. Colloquii istius cum Eva nullam aliam sacer Scriptor nobis conservavit partem, quam quod Adamus conjugæ suæ nomen Eva imposuerit, quod viventium omnium mater futura sit. Hæc ad significandum lætum primi parentis animum, & ad indicandam mutati nominis causam satis erant. Ergone, Amica mea! præter omnem spem totius humani generis mater eris, & mihi in posterum ad conservandam gratiam momenti hujus memoriam non amplius *Ischa* mulier, sed *Eva* appellaberis.

§. XLIV. *Altera actio*, sententiæ divinæ executionem præcedens, erat *Dei quædam cura* respectu hominis. *Adamo nimirum & ejus uxori tunicas fecit pelliceas, quibus eos induit*: Hoc est, ipsos docuit parare vestes, quibus corpus suum cooperirent. Siquidem omnis ars, omnis sagacitas, omne ingenium, omnisque cogitatio a Deo est. Docere hoc modo voluit benignissimum ac sanctissimum Numen, quod homines, corrupto nunc ac inordinato omni desiderio ac appetitu, pudori maxime consulere debeant, ne omnis animi conatus & cogitatio ad deteriora indies con-

ferret, uti postea seculis Diluvium illud universale immediate antecedentibus contigit. Novum itaque hoc benevolentiae divinae erga genus humanum, ac Protoplastos imprimis, documentum erat, quod ipsos virtuti studere & animum a majore corruptione ac inordinatis desideriis praefervere docuit.

§. XLV. Non obstante maxima Dei erga homines clementia, de hoc nunc agebatur, ut sententiae a summo Judice latae satisfieret. Eam tamen benignissimus Creator sine insigni aliquo commiserationis suae testimonio exequi non poterat; misericordem enim erga hominem lapsum voluntatem suam hisce patefacit verbis: *Ecce! homo fuit ut unus de nobis, sciens boni malique. Nunc vero eo res rediit ut arcendus sit ne extendat manum suam & decerpatur etiam de arbore vitae, & comedat, & vivat in sempiternum.* Antithesin nimirum Deus facit inter statum hominis praeteritum ac praesentem; praeteritam ejus felicitatem ac perfectionem praesentemque infelicitatem inter se comparat; Quod & nos facere consuevimus, quando misericordia erga eos intime tangimur, qui calamitatibus adversaque fortuna agitantur, ex magno felicitatis gradu in infimam miseriam dejecti. Ut Calamitatis magnitudinem, ceu miseracionis objectum, eo distinctius nobis repraesentemus, commiserationem eo majorem in nobis excitemus, eamque publice verbis testemur, praeteritas miserorum res prosperas cum praesenti aërumna comparamus, utriusque status oppositionem facimus.

§. XLVI.

§. XLVI. Ut Antithesis hæc respectu hominis lapsi ab ipso misericorde ejus judice facta eo clarius pateat, summique Numinis erga miseras Creaturas animum testetur, litteralem ejus dabitur sensum.

§. XLVII. Statum I.) hominis perfectum & prosperum, nunc vero præteritum, hisce Deus Dominus describit verbis: *Ecce! homo factus fuit ut unus de nobis, sciens boni malique.* Præmittit voculam *Ecce!* quæ in iis præcipue rebus adhibetur quæ omni attentione dignæ maximique momenti sunt. Quo autem majorem rerum mutationem eventus aliquis infert, quo majorem cum ultimo fine habet relationem, eo majus etiam ejus censei momentum debet. Neminem autem latere potest quantam rerum mutationem hominis lapsus secum tulerit, quamque arcte ille cum omnium rerum ultimo fine sit connexus. Eum nimirum in finem Deus orbem terrestrem huncce condiderat, ut gloriæ suæ esset theatrum commodumque hominibus habitaculum, ut ibi ex operum divinorum inspectione infinitas Creatoris perfectiones cognoscerent, summa ejus fruerentur bonitate, hacque ratione felices essent, Benefactorique & corde, & ore, & opere maximas persolverent gratias. Medium quo ad finem huncce tendere debebant homines, perfecta legis divinæ observatio erat. Violato autem, per transgressionem mandato divino longe alia erat rerum facies; non amplius eadem ratione ad veram felicitatem pervenire poterant homines; plane alia via ad hanc opus erat; & non poterat non peccatum Legis transgressores fruitione divinæ bonitatis privare

vare eosque in miseræ abyssum præcipites dare. Unde mutatus hominis status res maximi momenti & summa attentione digna erat.

§. XLVIII. Addit Deus: *Homo fuit*, vel factus fuit, *ut unus de nobis*. Verbum היה non modo de præsentis aliqua mutatione intelligendum esse, ut significet factus est, sed etiam statum rei primitivum, nunc vero præteritum, denotare, ut verti debeat *fuit* vel *factus fuit*, non opus est, ut probemus, cum nemo sit, qui de hoc dubitet. Unde & Calvinus, Musculus, Fagius, Vatablus, Clericus, Gesnerus, Burmannus, Glassius, Interpretes nonnulli Angli, alique plures ipsi hunc tribuunt significatum. Quod vero in specie hoc in loco istam requirat significationem, omnia reliqua, quæ verbi alicujus verum sensum determinant, suadent, uti jam vidimus & in sequentibus porro monstrabimus.

§. XLIX. Istud *fuit* itaque tam primitivum hominis statum, quam infelicem illam mutationem innuit. Uti Poëta acerbum ac funestum Trojanorum fatum exprimere volens, dicit: *Fuimus Troës; Fuit Ilium, & ingens gloria Dardanidum. Fuimus*, sed id, quod fuimus, non amplius sumus. Quantum ab illis mutati sumus! Quam lamentabilis præsens noster status, si cum eo comparetur, in quo antea fuimus. Eadem plane ratione clementissimus Deus, suam erga lapsum hominem Misericordiam testans, præteritum ejus statum describit: *Homo fuit* ut unus ex nobis; ad imaginem nostram conditus; maximis perfectionibus instructus, maxima cum iis connexa felicitate

licitate donatus, ut gloriosissimus & beatissimus ejus in Paradiso fuerit status. Sed *fuit hoc*, non amplius est. Mutata ejus conditio, quæ a priori toto cœlo differt.

§. L. Sed felicitatis hujus primitivæ, nunc vero amissæ, ac similitudinis cum Deo partem aliquam clementissimum Numen exprimit, addens hisce: *boni malique sciens*. Non omnia dona illa ac felicitatis partes, quæ ad divinam imaginem pertinebant, recensere volebat Deus. Illud adduxisse sufficiebat, quod omnium reliquorum bonorum quasi fons ac principium, & cujus amissio etiam omnis mali origo erat. Scientia enim boni malique Adamum a peccato præmunire debebat; si vero insigni hac scientia, intellectusque sui illuminatione, a legis transgressione sibi cavisset, etiam nec infelix redditus nec reliquis imaginis divinæ donis ac partibus privatus fuisset. Quamprimum autem insigni hoc Dei dono, scientia scilicet boni malique, non usus, sed illud posthabuit, etiam malum bono prætulit, legem divinam negligens a Deo, qui solus summum bonum est, defecit, eoque ipso miser factus est. Patet ex hisce: *Scientiam boni & mali omnium imaginis divinæ partium Complexum fuisse*, ut si Adam ea recte fuisset usus, adeoque in statu integritatis mansisset, etiam similitudinem illam Dei nunquam amisisset, sed perfectus felixque in Paradiso mansisset.

§. LI. Statum nunc hominis præsentem, miserum atque infelicem, Deus primitivæ ejus conditioni opponit, dicens: *Nunc vero ne extendat*

*manum suam & decerpit etiam de arbore vitæ, & comedit, & vivat in sempiternum. הנהו nunc vero;* Quasi diceret: nunc longe aliter se res habet, id nunc agitur ut miseri homines, juxta sententiam justissimam ac irrevocabilem a me ipso latam, e Paradiso exules fiant, ibi peccati ac inobedientiæ suæ pœnam luant, maledictionemque, legis transgressioni intentatam, sentiant. Quantum igitur nunc status ejus a pristino illo differt! Quanta miseria illa, quæ nunc homini peccatori subeunda est!

§. LII. Complexus omnis mali, quod hominem cum ejus conjuge manebat, in eo imprimis consistebat, quod prærogativis paradisi nunc privandus erat. Ad præcipua ejus bona *Vita immortalis* pertinebat, cujus Protoplasti, esu de arbore vitæ, ceu sacro signo ac sigillo, non modo certiores fiebant, sed etiam singularem vim atque efficaciam fructus arboris illius habuisse videntur ad Corpora Protoplastorum ab omni corruptione adeoque ab ipsa morte præservanda. Cum vero Adamo etiam mortis temporalis pœna subeunda esset, etiam a mediis, signis atque sigillis conservandæ vitæ immortalis arcendus erat. Ita nimirum a sapientissimo atque munificentissimo Creatore omnia inter se erant connexa, ut quamdiu homo in Paradiso commoraretur de omnibus arboribus, ex quarum numero nonnisi arbor cognitionis boni & mali excipiebatur, adeoque expressa Dei permissione etiam de arbore vitæ comedere auderet. De hac autem arbore quamdiu comedisset etiam ex ipso divino instituto immortalis mansisset. Hæc a se invicem Deus separare volebat. Cum igitur in humum redire deberet

Ada-

Adamus, ex qua sumtus erat, etiam esu de fructibus arboris vitæ arcendus fuit, ut autem aditu ad hanc arborem arceretur ex ipso Paradiso expellendus fuit. Hæc est ratio illa, cur Deus omnis miseræ summam hisce exprimat verbis: *Nunc vero, ne extendat manum suam & decerpatur etiam de arbore vitæ, & comedat, & vivat in sempiternum.* Uti nimirum Adamus, non obstante gravissima mortis comminatione esu de arbore cognitionis boni & mali minime abstinebat, ita minus adhuc sperari poterat, ipsum ab ejus arboris esu se continere posse, ex cujus fructibus hoc ipsi proventurum fuisset bonum, ut omni morte liber immortalis vita frui potuisset; unde necessario ex Paradiso exul fieri debebat si mortis pœna ipsi luenda erat.

§. LIII. Breviter nunc ea repetemus, quæ prolixius hucusque diximus. Cum nimirum de eo ageretur, ut Deus sententiam a se in peccatorem latam exequeretur pœnamque ab eo sumeret, id absque maximæ commiserationis suæ testimonio facere non potuit; Unde primo particula *Ecce* attentionem simul & misericordiam excitat, deinceps inter utrumque hominis statum felicem & infelicem comparisonem facit, ut opposita eo clarius elucescant. Omnis felicitatis summa in hoc præcipue consistebat, quod ad similitudinem Dei factus omnibus iis gaudebat bonis ac perfectionibus, quas imago illa secum ferebat, quarum fundamentum hoc imprimis erat, quod intellectu illuminatus veraque sapientia præditus a malo sibi cavere bonumque contra eligere poterat. Infelicitas autem ac miseria huic statui opposita,  
 nunc

nunc propter legis transgressionem perferenda; hæc erat, quod homo immortalis vita privandus, esu de fructibus arboris vitæ propterea arcendus, ex Paradiso ejiciendus erat, ut ibi post calamitosam vitam mortis pœnam lueret. Quam felix ac beatus olim erat, tam misera nunc ejus est conditio! Quanta commiseratione dignus!

§. LIV. Cum in re exegetica non sufficiat, ut sciamus, quis verborum sensus *esse possit*; sed eo adnitendum sit, ut ex certis regulis ac Characteribus constet, quis verus sensus esse debeat, nunc argumenta adhuc addenda sunt ex quibus Lector convinci possit, se genuinam effati hujus divini sententiam, a Spiritu Sancto intentam percipisse. Licet enim in locorum obscuriorum interpretatione demonstrationem mathematicam jure nemo expectet, dum Scriptorum interpretatio non ad Sphæram illam pertineat, laborandum tamen est, ut summum probabilitatis gradum nostra demonstratio attingat, & evidentia sua se inter omnes possibiles hujus dicti sensus maxime commendat.

§. LV. Omnes characteres, ex quibus de veritate interpretationis alicujus nobis concludere licet, huc redeunt: Ut in explicatione dicti cujuslibet adhibeatur usitata verborum significatio & constructio: Ut cum indole & adfectu loquentis congruat: ut sensus cum reliquis, cum quibus dictum connexum est, cohæreat: ut explicatio cum reliquis Scripturæ veritatibus sit analogica: Ut scopo loquentis sit congrua: Ut sensus cum ipsa rerum veritate conveniat: Ut denique minimis prema-

prematur difficultatibus. Si omnia hæc criteriâ adsint & inter se consentiant, dubitandi nulla ad- est ratio, hunc sensum verum esse.

§. LVI. Hæc nunc si nostræ dicti hujus, de quo agitur, interpretationi adplicemus 1.) *Verba omnia & phrasæ in usitata sua significatione & constru- ctione sumimus.* Consuetam ac receptam verbo- rum significationem retinimus, nec in minima quidem re a sensu verborum grammaticali, vel communi loquendi consuetudine aut linguæ ge- nio recessimus.

§. LVII. Si 2.) loquentis indolem & adfe- ctum spectes, *Sensus, quem verbis hisce tribuimus divinis perfectionibus, ejusque erga genus humanum, si ita de summo Numine loqui fas est, adfectui est convenientissimus.* Ex toto enim contextu patet: *Justitiam* divinam *gratia & misericordia* fuisse tempe- ratam, ut salvis reliquis attributis, has duas vir- tutes in homine lapsa patefacere ac glorificare vo- luerit. *Ab una enim parte ejus justitiæ* satisfieri debuit, unde pœna, ab ipso legislatore intentata, peccatori dictanda & de eo sumenda erat. *Ab altera autem parte Deus gratiam ac misericordiam su- am & re & verbis erga miseram creaturam demon- strare volebat.* Id *re ipsa* fiebat, dum hominibus lapsis & medium liberationis patefaciebat, bene- volumque suum erga miseros homines animum ac circa eos curam illa actione sua ostendebat, qua tunicas illis parabat induebatque pelliceas. Sed & *verbis* faciebat, dum eo ipso momento quo pœnam de miseris legis transgressoribus sumere vo- lebat, per antithesin ac comparisonem pristini

præsentis eorum status, summam suam testatur erga eos commiserationem. Si itaque Judicis virtutes ejusque erga hominem lapsum animum spectes, non est, cur effato huic divino alium tribuas sensum.

§. LVIII. 3.) *Explicatio ista etiam cum reliquis, cum quibus dictum connexum est, cohæret.* In præcedentibus Deus, ceu justissimus Judex, sententiam in legis transgressores ferebat, quod tamen non sine gratiæ suæ testimoniis fiebat. Nunc in textu nostro ad sententiæ a se latæ executionem transit; quod iterum præcedentibus divinis actionibus conformiter ita fiebat, ut Deus misericordiam suam simul cum justitia demonstraret; unde interpretatio ista cum antecedentibus congrua ac cum toto contextu cohærens est.

§. LIX. 4.) *Explicatio nostra etiam cum reliquis Scripturæ veritatibus est analogæ.* Scriptura nimirum testatur: Hominem primitus ad Dei similitudinem fuisse conditum: Præcipuam similitudinis hujus partem in sanctissimo veritatis studio adeoque in boni malique scientia constituisse, quam igitur Adamus non per lapsum sive experientiam consequutus est: Inter multas alias arbores in Paradiso etiam arborem vitæ extitisse, ad hominis sanitatem, conservandamque immortalem vitam, destinatam: Homini peccatori mortem temporalem variasque in hac vita calamitates fuisse subeundas, adeoque ipsum fruitione sive esu fructuum arboris vitæ fuisse arcendum, proptereaque e Paradiso ejiciendum: Deum quidem esse justissimum, hanc tamen ejus virtutem misericordia esse temperatam:  
Ipsam

Ipsū semper attribūtis suis convenienter & loqui & agere, neque unquam a perfectissima hac regula discedere. Cum omnibus hisce nostra interpretatio optime conspirat.

§. LX. 5.) *Nec minus loquentis scopo congruens est.* Deus ubique & opere & verbis testatur: se creaturas suas amare, ideoque eorum imperfectiōnem ac infelicitatem, quantum salva sua justitia fieri potest, non velle: se pœna ac morte peccatoris minime delectari, sed ejus vitam ac conservationem præferre: se invito quasi fieri si secundum justitiæ suæ rigorem sibi agendum, pœnaque a peccatore sumenda sit: se itidem natura sua magis ad bonitatis ac gratiæ quam ad justitiæ exercitium inclinare. Hæc ut Deus peccatori comprobeat ubique intendit. Idem etiam totius hujus capituli, in quo textus noster occurrit, scopus est, dum Deus id maxime agit, ut ostendat, se justissimum esse judicem, qui peccatum salvis suis attributis impunitum dimittere minime possit, sed qui simul justitiæ ac pœnæ rigorem misericordia temperet, & peccatorem commiserari quam eum perdere malit. Hæc ut demonstrantur omnis Dei circa hominem nuper lapsū actio collineat, & huic loquentis scopo etiam nostra interpretatio maxime consentanea est.

§. LXI. 6.) *Sensus iste etiam cum veritate convenit.* Subinde nimirum etiam in theologicis evenire solet, ut errores spuriasque hypotheses pro veritatibus genuinis, veritates contra pro erroribus habeamus, iisque Scripturæ sensum metiamur. Nullum vero sectæ studium, nullum Religionis

præjudicium vel alia præconcepta opinio, in omnibus iis, quæ in nostra interpretatione occurrunt, locum invenire possunt. Veritates istæ ab omnibus sunt agnitæ ac confessæ, id unum agitur: an præcise in hoc dicto sint contenta, nec de tuenda aliqua hypothese res est, cui verborum istorum sensus accommodari debeat.

§. LXII. 7.) *Minimis denique explicatio ista premitur difficultatibus.* Quæcunque enim interpretatio a nullo ex allatis characteribus sive regulis discedit, nec contra unicam ex iis peccat, ita etiam veris difficultatibus premi minime potest, sed non nisi apparentes illæ sint oportet. Ostendimus autem in præcedentibus ab una parte: reliquas interpretationes contra quasdam ex allatis regulis peccare, iisque minime conformes esse, contra vero explicationem nostram optime cum iis omnibus convenire. Unde sequitur: minimis etiam, & non nisi apparentibus, eam premi posse difficultatibus.

§. LXIII. At dices fortasse, reliquas etiam interpretationes cum nonnullis ex regulis ac characteribus allatis optime conspirare, adeoque regulas illas vel incongruas & superfluas esse, vel si veræ sint eam interpretationem minime rejiciendam esse, quæ eis congrua est.

§. LXIV. Hanc ipsam vero ob causam, quod non omnis falsa interpretatio ad omnes regulas hermeneuticas istas impingit, sed nonnullis tantum adversa cæteris congrua esse potest, etiam hoc requiritur ut omnibus criteriis hisce sit consenta-

sentanea, nec unicæ adeo contraria. Si unicum enim horum criteriorum defuerit, satis causæ est, cur sensus nobis debeat esse suspectus. Vide RAMBACHII institutiones hermeneuticæ sacrae Lib. IV. Cap. 2. §. 9.

§. LXV. Discimus ex verbis hætenus explicatis, quanta Dei sit tam bonitas, quam justitia & erga miserum hominem gratia ac misericordia. Quanta, Domine! Deus mi! quamque insignis est bonitas tua! Creasti cælos, qui sunt opus manuum tuarum, eum in finem conditi, ut immensæ sapientiæ, bonitatis ac potentiæ essent speculum. Fundasti terram, ut gloriæ tuæ theatrum hominumque habitaculum esset. Tu Protoplastorum nostrorum Creator eras, quam præclarum igitur opus homo est, o! si viveremus ad gloriam tuam!

§. LXVI. Mas & scæmina ad imaginem tuam erant facti, laudamus bonitatem tuam, Domine! sed recordamur pristini status, ex quo excidimus; renova opus tuum, & crea ex nobis hominem novum ad tuum exemplar refictum. Sapiens & sanctus erat primus homo, eum enim fecisti rectum, qui te cognoscebat & amabat, quia perfectissimus es. Quare ergo diligeremus malum, & Te, unicum ac summum bonum nostrum, odio haberemus. Erat etiam immortalis, ubi enim nullum peccatum ibi etiam vita sine morte est. O! si sanctitatem sectaremur, ut post hanc vitam ad immortalitatem perveniremus.

§. LXVII. At a te solo & summo suo bono homo defecerat & lex tua ipsum morti addici jubet. Justus es, Domine & simul misericors, mirabilis in omnibus operibus tuis. Rectum & integrum hominem comminatione terruisti, ne in peccatum & propriam perniciem rueret, sed lapsus promissione solatus es, ut peccare desineret; Fac ipse, ut mala vitemus, & promissorum tuorum erimus participes.

§. LXVIII. Salva tua justitia aliter non poteris, quin pœnam de homine lapso sumeres; immortalitate privari, arbore vitæ arceri, e Paradiso expelli, & durissimas vitæ præsentis calamitates subire debebat, eum tamen ad meritas hæc reposcere pœnas non poteris, quin de novo commiserationis tuæ ipsum certiolem faceres; insigne propterea misericordiæ tuæ testimonium dedisti, ut ipsi Deus solatii esses. O! si nos peccatores hanc tuam misericordiam agnosceremus, ad eam, ceu ad unicum anchoram, confugeremus, neque ea ad peccatum abuteremur.

T A N T U M.

Com-